

*& Episcopatus animo promovendi salutem civium. Sustentando igitur clero eorum communem in quibusdam locis venationem posse à Regibus restringi, & illa foresto includi, nemo dubitabat, præsertim cum Germania feris abundante non deessent ingenuis plerisque alii tractus venatibus apti. Hi ubi deficiebant, & sic ambigi poterat, num justitiæ regulis esset congruum, interdicare venatione, quam hæctenus libere exercuerant, civibus vel Foresti jus in fundis privatorum alius acquisiturus erat, eorum consensus desiderabatur. Sed vero non tantum Monasteriorum & Episcopatum sed etiam Procero- rum Laicorum sylvis bannum à Regibus & Imperatoribus permitti poterat: ita enim HENRICUS II. in charta (§. antec.) allata BALDERICO Comiti super propriam sylvam idem concessit. Cessat hic prædicta utilitatis publicæ ratio. Nec possumus adduci ut credamus, studium pietatis Imperatorum, servitiæque quibus Episcopi & Abbates sese ipsis commendabant utilitatem publicam dici posse, ob quam prædiorum possessores jure quæ- sito privari potuissent. Nec tam cleri sustentandi gratia, sed potius ad remunerandum idem devotum quod Imperatoribus Proceres Ecclesiastici exhibebant servitium, sylvæ banno affici solebant. Ita enim habet charta HENRICI III. Imper. d. 8. Kal. Febr. 1048. (l): *qualiter nos ob petitionem & NB. devotum servitium nostri fidelis ac dilecti Brixien- sis Ecclesiæ Episcopi Popponis forestum in pago Busrissa in comitatu Sigefriedi comitis situm infra terminos, quos in præsentem nominamus de flumine quod dicitur Budia usque ad flumen quod dicitur Arina &c.* his omnibus quos in præsentem conscribimus*

(l) Hund, in Metropol. Salisb. T. I. p. 317, seqq.